



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Disputatio III. De peccatis, quae est de eorum distinctione, gravitate, &
pœnis eis annexis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

omisso leui mendacio, peccaret sane morali peccato homicidij: at non credo aliam malitiam habere. Quod peccet mortaliter, constat ex prima conclusione, & expresse omnes Doctores admittunt; quod vero non habeat aliam malitiam, inde probet: nam si aliquam haberet, maxime aduersus preceptum, quo cauetur ex duobus illis malis minus esse eligendum, sed in presenti nullo est tale preceptum: siquidem qualibet suppositione facta utrumque vitari impetratur. Ergo, Deinde vitare homicidium, potius quam lege mendacium ipsamet iustitia virtus obligat: quælibet enim virtus quo grauior est, & excellentior, eo strictius obligat ad sui obiecti obseruationem, Ergo non est necessaria alia obligatio distincta. Ergo qui vitare committit homicidium, potius quam leue mendacium aduersus iustitiam peccat.

Sed quid dicendum, cum inter duo peccata mortalia eligat vitare utrumque qualibet suppositione facta. At peccat solum aduersus illam virtutem, cui opponitur peccatum, si de facto committeretur: vnde pro qualitate virtutis est maior, vel minor obligatio; semper enim fides, v.g. fidelitate excellentior est. At cum te determinas vnum de duobus violare, & resolis violare fidem, solum aduersus fidem peccas, quia fides est, quæ te distabat magis esse ipsam seruandam, quam fidelitatem. Neque enim necessaria est alia virtus, quæ hoc dicitur.

Argumenta pro sententia Sanchez ex dictis manent soluta; qualibet enim determinatione facta semper est malum eligere peccatum leuius; non tamen est malum consulere eligendum, quia non consulitur eligendum minus malum absolute, sed diminutionem maioris, cum in potestate consulentis non sit virtutem vitare, sicuti est in potestate electoris.

Ad secundum concedo te teneri auctori vinculo peccatum grauius vitare, quam leuius, non tamen inde inferri, si eligas leuius, non peccatum: peccabis, inquam, sed leuius.

Ad tertium concedo illum actum negandi fidem esse grauissimum, & aduersus fidem, quia sufficit sub conditione non aufere malitiam velle fidem negare.

Ad quartum quando duo precepta incompatibilia concurrunt, si recte expendatur, non datur preceptum eligendi, quod grauius est, quia ibi tunc non sunt duo precepta, sed vnum tantum; aliud enim cessat, quia potest aliqua circumstantia, qua posita cessat obligatio. Verbi gratia, adest preceptum audiendi Missam, & simul necessitas succurrendi infirmo, cessat omnino preceptum audiendi Missam, quia ponitur aliqua circumstantia, qua cum non obligat: at in presenti casu supponimus utrumque preceptum de facto obligare, neque vnius obseruationem alterum excludere. Ergo utrum est secundum. Ergo si vnum ex illis violas, peccabis.



DISPUTATIO III.

De Peccatis, qua est de eorum distinctione, gravitate, & paenis eius annexis.

PUNCTUM I.

Vnde distinctio peccatorum sumenda sit.

1. Propositur questio.
2. Multiplicitas ex parte precipientis non multiplicat peccata.
3. Obiectiones aliquot proponuntur, & diluuntur.
4. Quoties est distinctio formalis, non materialis rei precepta, est peccatum distinctum.
5. Proponuntur obiectiones, aduersus dictam doctrinam, & illis fit satisfactio.

PRINCIPIUM constitutum cuiuscumque rei est principium distinctum illius, ex Philo-
pho: cum autem constitutum peccati, vt est
precedenti disputatione constat, sit dissonantia
cum natura rationali, quotiescumque hæc dissonantia numero, vel specie diuersa est, diuersum est peccatum numero, vel specie; ita Azor. tom. 1. *cap. 1. moralium*, lib. 4. *cap. 1. quest. 5. 6. & 7.* Valentia 1. 2. *disp. 6. quest. 2. punct. 1.* Valquez *disp. 98. cap. 2. & 1.* Salas 1. 2. *tract. 13. disp. 3. sect. 2. num. 16.*

Difficultas autem est, an quoties multiplicentur precepta, multiplicentur dissonantiae, & consequenter peccata?

Et dicendum est preceptum multiplicari posse, vel ex parte precipientis, vel ex parte rei preceptæ: ex parte precipientis multiplicatur, quando ab eadem persona pluries preceptum reperitur: à diuersis, quando eadem res à diuersis prelati-

precipitur, vel à Deo, & creaturis. Ex parte rei preceptæ multiplicatur preceptum, quando multiplicatur res, quæ precipiuntur.

2. Dico ergo primò, sola multiplicitas ex parte precipientis non multiplicat grauius dissonantiam rationis, ita vt sit necessario confitenda. Probo, quia hæc multiplicitas non facit esse preceptum multiplex, formaliter, sed solum facit precipientes esse multiplices. Ergo non potest hæc multiplicitas diuersam obligationem constituere; ac proinde neque diuersum peccatum necessario in confessione manifestandum; ita tenet Azor. *quest. 5. Valquez cap. 2. Salas n. 9. Bonacina alios referens disp. 2. de peccat. q. 4. punct. 3. n. 10. & seq. coroll.*

Ex hac conclusione infero omittentem ieiunium in vigilia alicuius Sancti concutenti in Quadagesima, & sacrum die S. Petri occurrentis in Dominica non peccare duplici peccato necessario manifestando, sed satisfacit precepto confessionis, si dicit semel violasse ieiunium, vno die festinato sacrum omisit: sicuti satisfaceret clericus, qui diceret se omisit recitare vno die, etiam si ratione ordinis sacri, & virtus vel plurius beneficiorum obligatus fuerit. Ratio omnium est, quia omnia illa precepta eandem rem precipiunt: ita Valquez *disp. 98. cap. 3. Salas tract. 13. disputat. 3. sect. 2. num. 17.* Azor. *lib. 4. cap. 2. quest. 6.* Sanchez alios referens *lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 5. & 6. lib. 1. in Decalog. cap. 14. num. 9.* Henriquez *lib. 5. sum. cap. 5. §. 6.*

3. Sed obieci. Preceptum est actus intellectus, & voluntatis precipientis, sed non potest esse idem actus intellectus, & voluntatis quando precipientes sunt diuersi, v. gr. homo, & creatura, Pontifex, Episcopus. Ergo neque potest esse idem preceptum. Ergo est multiplex. Ergo violator illorum violat multiplicia precepta. Ergo multiplex peccatum committit, ac proinde tenetur confiteri.

Secundò quando tibi ab vno superiore precipitur audire Missam, & alius independenter ab illo id ipsum tibi precipit, quodlibet mandatum ex his te integrè obligat: siquidem quolibet deficiente maneres obligatus. Ergo omittens Missam, utrumque preceptum violas; non enim est maior ratio de vno, quam de alio. Ergo dupliciter peccas.

Tertiò negari non potest omittentem sacrum à Deo, & ab Ecclesia preceptum inobedientem esse Deo, & Ecclesie. Ergo grauius peccat, quam si solum Ecclesie, vel Deo inobediens foret. Ergo saltem ratione huius grauitatis tenetur manifestare in confessione à quibus fuit sibi preceptum impositum.

Facilis est horum solutio.

Ad primum dico esse quidem diuersum preceptum Pontificis, & Episcopi, non formaliter, sed materialiter, quia vnus alteri non superaddit obligationem nouam, sed eandem vrget.

Ad secundum concedo quodlibet mandatum ex his te integrè obligare: at quia ad idem formaliter obligat, non peccas duplici peccato, sed vno, sicuti si ab Episcopo, & Pontifice lata esset excommunicatio ob furtum in Ecclesia commissum; si committeres furtum, non duplicem excommunicationem, si vnam contraheres.

Ad tertium concedo omittentem sacrum à Deo, & ab Ecclesia preceptum, esse inobedientem Deo, & Ecclesie, non formaliter inobedientia, sed generali, quatenus omnia peccata dici possunt esse contra obedientiam, vel charitatem, aut gratitudinem: at quia plurius es inobediens, concedo te aliquo modo grauius peccare, sed non est grauitas tantæ considerationis, vt necessario manifestanda in confessione sit, quamuis concederemus circumstantias notabiliter aggrauantes esse in confessione manifestandas.

4. Dico secundò. Nulla est alia distinctio peccatorum, nisi secundum distinctionem preceptorum. Vnde si ex parte rei preceptæ sit solum diuersitas numerica, peccatum solum numero multiplicatur, si diuersitas specifica, peccatum diuersum erit in specie. Conclusio est manifesta: nam cum peccatum sit transgressio legis, & lex sit diuersa, quoties res precepta diuersa est, efficitur sane omittentem quolibet rem preceptam distinctum peccatum efficere. Hoc autem intelligi debet de distinctione rei preceptæ formaliter, non materialiter, non enim ex diuersitate materiali obiectorum, videtur diuersificari peccata; qui enim prodigus esset expendendo aurum, non committeret diuersum peccatum specie, si expendere argentum. Idem in plurium sententia contingit in imperantia ex diuersitate obiectum, non enim attendi debet materiale obiectum, sed formale precepti, diuersitas enim materialis conducit ad diuersitatem numericam actus, non ad speciem: ita communis sententia Azor. *tom. 1. lib. 4. cap. 2. q. 5. Valquez disp. 98. cap. 2. Valent. 1. 2. disp. 4. q. 2. p. 1. Salas tract. 13. disp. 2. sect. 2. n. 9. & 14.*

5. Sed obieci primò. Vnico precepto plura diuersa mandari possunt. precepto enim iurandi prohibetur iuramentum falsum, iniustum, otiosum; & precepto non fornicandi, prohibetur fornicatio, adulterium, pollutio, bestialitas, & tamen hæc omnia differunt specie. Ergo diuersitas peccatorum non requirit diuersitatem in preceptis, sed solum diuersitatem in re precepta.

Secundo obijcio. Eadem res duplici via prohiberi, vel precepti potest titulo inquam, religionis, & iustitiae vt contingit in precepto prohibente furtum rei sacrae, titulo pietatis, & temperantiae, vt in fornicatione cum consanguinea, titulo, castitatis & iustitiae, vt in fornicatione cum vxorata, sed tunc committens furtum rei sacrae, vel fornicationem cum consanguinea, duplex peccatum committit necessario in confessione manifestandum. Ergo multiplicitas peccati non requirit multipliciter.

Tertio contingit multiplicari rem preceptam formaliter non multiplicari peccatum numero, vt contingit, si fornicam inlequaris, alloquaris, deosculeris pluries, & rem cum illa habas, quodlibet ex antecedentibus est peccatum distinctum, & tamen non est necessario in confessione manifestandum: vt tenet communis sententia. Ergo non ad multipliciter rei precepta peccata multiplicatur.

Ad primam obiectionem concedo vnico precepto materialiter, seu vnica propositione plura diuersa prohiberi, sed hoc non tollit, quin aequaliter, & formaliter plura precepta dicantur: alia omnia, quae Deus prohibet dicentur vnico precepto prohiberi, si quidem vnico indissolubili actu prohibet; sufficit enim, vt dicatur esse plura precepta, si res preceptae ita distinctae sunt vt quilibet eorum possit suo precepto prohiberi.

Ad secundam, ibi esse duplicem rem preceptam, vel vniam rem sub aliqua diuersa circumstantia; ratione enim iustitiae, prohibetur furtum cuiuslibet rei, siue sacrae, siue profanae, ratione enim religionis prohibetur specialiter furtum rei sacrae, quod certe distinctum est: nam respectu iustitiae rem factam esse, vel non esse est per accidens; solum enim respicit, ne alterum, contra voluntatem domini accipiat: ac respectu religionis est quidem per se esse factam, quia religio non prohibet furtum rei sacrae quatenus factum est, sed quatenus illo casuatur irreuerentia, & indecentia rei sacrae, & Deo dicatur. Idem est in precepto non fornicandi cum consanguinea, castitas enim prohibet quamlibet fornicationem cum aliena. Quod vero sit consanguinea, vel non, non pertinet ad castitatem: ac pietas & reuerentia consanguineis debita expostulat, ne illis turpiter immisceatur; ac proinde, quod est per accidens respectu castitatis est per se respectu pietatis. Similiterque dicendum est de, fornicatione cum vxorata, quae est aduersus castitatem prohibentem accessum ad non tuam quatenusque sit, & simul est aduersus iustitiam prohibentem cuiuslibet iniuriam. Quare dicere possumus in omnibus his duplicem esse rem formaliter preceptam; ea enim, quae sunt per accidens prohibita respectu vnus virtutis, sunt per se prohibita respectu alterius.

Ad tertiam respondeo, ex his quae latius dicemus in tractat. de poenitentia disputat. de his quae necessario sunt confitendos. Fateror, inquam, quodlibet ex illis peccatum esse, & peccatum physice distinctum: ac quia moraliter, & secundum communem estimationem non distinguuntur; sed ad idem sunt: ideo declarata copula, omnia illa quae communiter contingunt, censentur declarata, & de oculis, & tactibus copulam praecedentibus ferre omnes affirmant, non esse necessario fatenda, vt videre est apud Nauarum cap. 6. numer. 18. §. inferius. Valquez 1. 2. tom. 9. disputat. 75. cap. 2. §. 2. fine. Et de poenitentia, quest. 9. artic. 1. dub. 5. numer. 33. Azor. tom. 1. instit. moralium, libr. 4. cap. 4. quest. 6. Suarez, tom. 4. in 3. part. disputat. 22. section. 5. numer. 26. At de oculis, tactibus & collocactione subsequente copulam, cito Valquez, & Suarez supra, existimant necessario esse fatenda, quia sunt initium alterius copulae: ac si absque animo illius fiat, existimo satis probabile non esse necessario fatenda, quia videntur esse complementum copulae praeteritae, & non initium alterius: & sic declarata copula, omnia, quae regulariter euenire solent, intelliguntur declarata, & licet aliquando id non contingat, est per accidens: ita Nauar. in cap. considerat. de poenitentia distinct. 5. numer. 46. Et in summ. cap. 6. numer. 17. generaliter dicit actus, qui praecedunt, vel subsequuntur communiter ad actum principalem peccati, non esse necessario in confessione manifestandos, vt si quis alterum occidit, & statim gaudeat; & iterum, vel de illo colloquatur, alii que ostendat sibi placere, quia haec communiter contingunt. Henriquez lib. 5. summ. cap. 5. §. 5. vbi comment. dicit esse communem. Et cap. 8. numer. 13. Azor. tom. 1. instit. moralium, libr. 4. cap. 4. quest. 6. fine. Salas tractat. 13. distinct. 5. section. 8. numer. 82. circa finem. Quod vero Ioan. Sanchez disputat. de selectis, numer. 3. addit supra dicta esse verba, etiam si magna intercelleret interruptio temporis inter copulam, & consequentis ad illam; dummodo ad alia negotia qui commisit fornicationem, non se diuertat, sed in eodem statu, & situ permaneat, detraens feminam, ad deosculandum illam & colloquendum, vel si forte femina discessit, ex vtriusque conuentione expectet reditum, ad iterum deosculandum illum nullo modo mihi probatur, neque, Nauar. quem pro se adducit in cap. considerat. id dicit sed solum dicit in su. iuxta edit. Legum. in 1. 197. cap. 9. numer. 17. versic. inferius septimo, Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

semel tantum peccare quoad necessitatem confitendi, qui post vniam fornicationem cum amica habitam, sapius osculatur, non ad iterandam fornicationem, sed ad maiorem delectationem, quia omnia illa oscula videntur consequentia fornicationis, & rei iam habitae, & in cap. considerat. num. 48. fine, requirit praebula, & consequentia ad copulam, & ea, in quae quis vno impetu fertur quae omnia intelligi debent de immediate consequentibus copulam, quaeque potius sunt copulae complementum, quam alterius initium, ut tactus, & oscula longo tempore post copulam subsequentia, necio qua ratione possint dici esse complementum illius, & non via alterius.

Vnum tamen est omnino dubitatum apud omnes, coitum vnum non esse viam ad alium, ac proinde etiam si mox post alium sequatur, necessario est peccatum distinctum in confessione manifestandum.

PUNCTVM II.

Vnde distinctio numerica peccatorum non solum in esse physico, sed morali, & in ordine ad confessionem desumenda sit.

- 1 Proponitur ratio dubitandi.
2 Resoluitur.
3 Respondetur rationi dubitandi.

Non leuis est difficultas, quando peccata quoad numerum mortaliter censentur multiplicata vt debentur in confessione ea manifestate, & declarate. Ratio dubitandi est, quia peccatum praecipue consistit in voluntate quam in opere externo. Ergo multiplicata voluntate etiam si opus externum non multiplicetur, multiplicari debet peccatum. Ergo cum quis pergit hominem occidere, & ex hac voluntate parat equum, assumit arma, quaerit inimicum, multiplicat peccata, nec in confessione satisfacit, si dicat hominem occidisse, nisi huiusmodi voluntates declarauerit, necessarium enim est eas multiplicare, praecipue si aliquo tempore in ea durauerit confirmo. Demum te post aliquos dies ponere voluntatis habitae, & omnino ab illa cessare: satisfactis ne si dicas te voluisse hominem occidere, quin dicas, quoties voluisti, vel quo tempore persecutus in tali voluntate. Nemo credo audebit id affirmate, cum quilibet ex illis voluntatibus peccatum distinctum sit. Ergo etiam cum sequitur officio, sunt haec voluntates manifestandae, siquidem eorum malitia non obinde immutatur. Adde declarata occasione non sufficienter haec voluntates declarantur: non enim ad quamlibet occasionem necessarium est tanto tempore in depauperata voluntate perseuerare: alia qui toto anno in ea perseuerat, & in fine illius eam executioni mandaret, satisfaceret dicendo se hominem occidisse, quin declarauerit in tali voluntate in toto anno perseuerasse.

Fateror pressum me esse hac difficultate. Nam vt recte dixit Nauar. in cap. considerat. in princip. distinct. 5. numer. 13. versic. pone item. si quis velit occidere hominem substantia quadam voluntate, sed deliberata, moraliter peccat, si continuauit paululum illam certum est ex praxi communi nondum teneri ad illam extensionem confitendam, neque si continuauit vniam horam neque duas, neque tres, si tamen octo dies vel mensem, vel annum continuaret, tenebitur sanè: quis Ego determinabit temporis illam quantitatem, post quam tenetur & intra quam tenetur;

Pro resolutione supponendum est aliqua esse peccata quae interius consummantur vt odium, superbia, inuidia, haereticis, delectatio morosa: alia, quae exterius perficiuntur, vt iuramentum falsum, idololatria, homicidium, fornicatio, furtum, &c. Si de peccatis, quae interius consummantur, sermo sit communiter, Doctores tradunt multiplicata voluntate, multiplicari peccatum, quia cum illae voluntates inter se non vniuntur, neque vniuntur in aliquo effectu, qui causa sit talis peccati, non est vnde vnium peccatum dici possint. Ergo sunt plura peccata ita docet Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 4. quest. 4. coasentit Salas 1. 2. tract. 13. distinct. 5. section. 8. numer. 89. Valquez disput. 75. cap. 1. numer. 1. Nauar. summ. cap. 6. numer. 16. Si vero de peccatis, quae exterius consummantur, loquamur, dicendum est, voluisti occidere hominem, & in te reuertens decreuisti a praua illa voluntate cessare, si postea iterum velis occidere peccas & necessario est manifestanda talis multiplicitas; quia postrema voluntas cum priori non continuatur, etiam in aliquo opere extremo, cum fuerit per contrariam voluntatem retractata: ita Nauar. cap. considerat. in princip. distinct. 5. numer. 48. circa finem. Emanuel verbo confessio cap. 5. numer. 6. Salas alios referens, 1. 2. quest. 7. tract. 13. distinct. 5. §. 8. numer. 84. Et tract. 7. di. 6. sect. 6. numer. 35. conclus. 1. Quod si non mutasti voluntatem occidendi,

DE CASTRO PALATINO



sed perseverasti in illa quousque occideris, tunc distinguendum est: si durante illa, voluntate ad alia opera te diuertisti, quæ via non erant occisionis, interrupta est voluntatem non solum meritis, sed etiam ex parte, ac proinde tenberis in confessione declarate, quoad poteris quoties interruptam voluntatem assumptisti, neque satisfacies dicendo te occidisse, quia omnes illæ voluntates occidendi, cum non fuerint in aliquo opere, quod via fuerit occisionis continuatæ, censeri non possunt continuatæ, ac proinde neque vnum peccatum cum occisione efficiere docet Syluest. verbo peccatum, l. §. 2. Armilla verbo peccatum, §. 4. & plures recentiores, prout refert Salas tom. 1. in 2. tractat. 7. disp. 6. section. 6. num. 28. sine, & 31. sine Bonacina disputat. 2. de peccat. quest. 4. punct. 2. num. 5. Valquez disput. 75. cap. 2. & 3. ubi quatuor modos apponit iterumpendi voluntatem. Primo, per contrarium actum, Secundo per lumnem. Tertio per inadvertentiam, Quarto per diuertionem ad alia opera. Qui omnes mihi probantur, nisi forsitan fuerit assumptus, ut medium ad præuentionem exequentiam: esto Emanuel, verbo confessio, cap. 52. numer. 6. Lopez 1. p. instruat. cap. 3. Gaffis, lib. 1. cap. 20. n. 14. & segg. & alii quos sequitur Salas 1. 2. quest. 73. tractat. 13. disp. 5. sect. 8. num. 84. doceant solum interruptionem per actum contrarium, & non per somnum, & esum efficiere nouum peccatum necessario constitutum. Si verò voluntas occidendi non fuit interrupta alia voluntate contraria, neque aliquo opere externo, quod via non fuerit ad occisionem, sed perseverasti moraliter, quousque hominem occideris, existit no te satisfacere obligationi confessionis, confitendo occisionem, quin declares quo tempore durasti in illa voluntate, & quæ opera ad illius executionem assumptisti: suppono enim omnia illa opera non habere aliam malitiam, nisi à voluntate occisionis. Ratio est quia quando est vnum propter aliud, non censetur, nisi vnum, ut tradit S. Thom. 1. part. quest. 5. artic. fin. ad vltim. argument. Omnia autem illa opera, omnes illæ prauæ voluntiones, etiam in genere entis, & peccati (physicè loquendo) plura sunt: quia ad occisionem ordinantur, & cum illa vnum constituunt, quia fuerunt illius causæ, sicut lapides, columna, & ligna, sunt causæ domus, ideo declarata occisione, censentur omnia declarata, factique ad id textus in legum qui ff. de usurpation. & ita tenet Nauarr. in summ. cap. 6. num. 16. 17. & 18. & in cap. confideret, in princip. distinct. 5. numer. 48. ver. ex hac limitatione. Henricquez libr. 1. de poenitent. cap. 5. Bonacina disp. 2. de peccat. quest. 4. punct. 2. num. 8. §. 3. Tolet lib. 3. cap. 7. Syluest. verbo peccatum, l. §. 2. Salas tractat. 13. disp. 5. section. 8. num. 87. Aduertit autem cum Henricquez hoc esse intelligendum, quando inter hos actus modica est distantia, & bene quia quando plurima est, non potest voluntas ad alia non diuertit; quæ media non sint finis exequendi, ac proinde est facta interruptio moralis.

Verum si occiso non fuerit sequuta, eo quod retractasti voluntatem, vel fuit tibi impossibilis cum tota illius peccati malitia sita fuerit in voluntate, necessario obligatus es voluntatis multiplicatam declarate, quia non habent, vnde tales voluntates mutant, & moraliter vnum sunt: cum talis multiplicitas declarati facile non possit, cum singulis momentis voluntas renouetur, debet declarate te totis habuisse voluntatem occidendi, quoties opera aliqua externa diuersa ad illum effectum assumptisti, vel quoties voluntatem intelligis renouare. Quod si id tibi videatur arduum, & scriptis expositum, declarate tempus, quo in voluntate illa perdurasti, quia hac via videris voluntates, sic Nauarr. cap. 6. num. 18. Salas Valquez locis citatis, Bonacina num. 9. & in simili tradit Azor 1. tom. lib. 4. cap. 4. quest. 4. sine.

Ad rationem dubitandi respondendo præambula illa etiam in esse physico peccata distincta sunt tamen secundum commune hominum æstimationem non reputantur distincta, sed idem peccatum cum occisione facta fuerint via, & causa illius, & nullo modo interrupta. Ad confirmationem, concedo antecedens, te obligatum esse manifestare voluntates, quas habuisti occidendi quando occisionem non fuisti executus, quia tunc illæ voluntates non habent tertium, in quo sint vnum: ac quando occiso sequuta fuit, etiam eodem modo mala fuerint ea peccata, quia habent, in quo continuantur, ideo non debent necessario explicari.

Ad aliam confirmationem concedo non esse necessarium ad quamlibet occisionem multiplicari res opera, & voluntates, sed non obinde sit integro anno, imò neque mense in eadem voluntate perseveraturum, quin debeat manifestare: nam ferè impossibile est quod ad alia opera, quæ via non erant occisionis, non te diuertit: quando autem interruptit voluntatem, vel per contrariam voluntatem, vel per opus ad executionem illius non ordinatum, iam diximus manifestari tunc debere, & esse peccatum, non solum physice sed moraliter omnino distinctum necessario in confessione manifestandum.

Inferuntur aliqua pro clariori intelligentia distinctionis specificæ, & numerica.

- 1 Examinatur, an accipiens rem alienam, & apud se retinens plura distincta peccata committat necessario in confessione manifestanda, & proponitur sententia affirmans.
- 2 Resoluitur questio cum distinctione.
- 3 Satisfit fundamentis contrariis.
- 4 Proponitur te plura peccata committere necessario in confessione manifestanda si eodem tempore plura iuramenta falsa proferas ad eandem rem confirmandam pluribus maledictionibus, vel plagis inimicum officias.
- 5 Defenditur contraria sententia.
- 6 Quid dicendum si diuersis contumeliosis verbis Petrum eodem tempore officias.
- 7 Quid si pluribus in peccato existens sacramenta ministras vel iratus plures eodem impetu vulneres.
- 8 Defenditur esse plura peccata necessario manifestanda in confessione.
- 9 Coniugatus, si cum coniugata adulterium committat utrumque coniugum tenetur manifestare.
- 10 Religiosus, sacerdos, non tenetur utrumque manifestare, tum peccatum luxuria committit, sed sufficit si sacerdotium vel votum declaret.
- 11 Quid si votum castitatis est simplex.
- 12 Religiosus transgrediens superioris præceptum dupliciter peccat.
- 13 Idem est scholastico, cui res aliquo obligatoria præcipitur, in virtute præstiti iuramenti.
- 14 Causa peccati qua ratione declaranda in confessione sit.
- 15 Quid dicendum de eo, qui in plures Sanctos blasphemat, vel alicui familia maledicit.
- 16 Qui in die festo sapè proponit non audire Missam, qui dicant non committere plura peccata.
- 17 Contrarium est dicendum.
- 18 Satisfit rationi contraria.

EX his inferretur resolutio illius difficultatis, an accipiens rem aliquam, neque retinens multo tempore, tenetur declarate, quo tempore accepit, & perduravit in illo peccato; Et videtur esse obligatum declarate, neque satisfacere dicendo se rem alienam accepisse, neque adhuc restituisse. Primo, quia perseverans in concubinato multo tempore tenetur declarate. Secundo, quia perseverantia in peccato commisso augeat peccatum. Tertio, quia gaudere de peccato commisso peccatum est distinctum, sed qui rem alienam vult non restituere, gaudet de eius retentione. Ergo. Quarto, se queretur, cum qui rem fatatus fuerit, etiam eam lapsus contractauerit, imò etiam si ab alio fure, quicquam rem fatatus fuerit, recuperauerit, diuersum peccatum non committere cum semper eandem habuerit obligationem restituendi, noluit restituere.

Propter hæc aliqui dicunt quoties vteris te aliena vel renouas voluntatem non restituendi vel aduertis alienam possidere, esse distinctum peccatum necessario in confessione manifestandum: sic Nauarr. in summ. cap. 17. num. 55. §. ex quo inferitur primo. Contra verò docet Henricquez libr. 2. de poenitentia, cap. 5. §. 5. Aragon. 22. q. 62. artic. 5. dub. circa 2. Argumentum dicto 2. Quando, 4. distinct. 16. proposuit. 23. Si toto eo tempore quo rem alienam retinueris, potuisti restituere, & nolueris satisfacere, si dicas, te alienam accepisse, neque restituisse, quia non commisisti diuersum, distinctum peccatum, sed vnum longo tempore continuatum, retentio enim illa toto illo tempore vna est, & non diuersa, & ab eadem voluntate moraliter existente prouenit. At duratio in peccato non est circumstantia necessario fatenda, quia neque mutat speciem, neque augeat numerum, cum a te durante non distinguatur, tametsi grauissima sit, & in gravitate æquivalcat pluribus peccatis: indicat Azor tom. 1. in sum. lib. 4. cap. 3. quest. 5. sine, quatenus solum cum vendit, & alienat rem fortuitam censet peccate forem, quia tunc se se impedit à restitutione faciendi, & videtur esse Nauarr. in sum. Lugdunens. 1. q. 97. cap. 6. n. 17. ver. sic addimus secundo, ubi dicit, qui fatatus est infantem, qui apud eum adoleuit, vnum futurum se esse dicitur exprimens, & infans de furt.

2 Ego verò existimo dicendum primo, si decreuisti restituere, & postea boni propolus penitens peristis in retentione, manifestum est te peccatum diuersum committere, quia iam cessauit illa retentio esse voluntaria. Secundo, si impotens factus es restituere, & postea potens non restituis, committis peccatum distinctum, quia per impotentiam, restitutionis discontinuata fuit prior voluntas, cum iam retentio non fuerit peccaminosa, ut antea, & in his ferè omnes conueniunt. Tertio, si postquam rem accepisti animo retinendi, ad alia te diuertas, neque cogitas de retentione, & iterum recordatus retentionis

retentionis, adhuc non restituit, credo re de nouo peccare, & tanquam novum peccatum manifestandum fore in confessione. Probo, quia tunc voluntas retentionis est noua, neque cum priori conuata. Ego enim nouum peccatum. Et confirmo: toto illo tempore, quo non aduertis, neque potes aduertere te alienum retinere, retentio non est tibi actualiter voluntaria: neque est voluntaria in aliquo effectu, qui sit causa illius. Ergo cum de nouo fiat voluntaria, de nouo fit peccatum, ac prout necessarium confitendum. Dices, si post furtum dormiam, & post somnum aduertam retinere, somnus interruptit retentionem: nam durante somno retentio fuit inualuntaria. Concedo totum: neque obinde fit semper somnus interruptere voluntatem: nam aliquando somnus, ut medium exequendi illam: at in retentione nunquam, ut medium exequendi illam, quia non indiget positio inflexa, ut sit, cæque de causa, quælibet inaduertentia voluntatem interruptit; & ita tenet Valquez 1.2. disp. 75. num. 14. & 15. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22. sect. 5. n. 32. optimè Fernand. Rebell. de oblig. iustit. 1. part. lib. 2. de restitut. quæst. 17. sect. 2. præcipue conclus. 2. num. 7. & 8.

3 Rationes contrariæ leues sunt. Ad primam dico, persequerantiam in concubinato manifestandam esse, quia non persequeratur in vna copula, sed in pluribus, quælibet enim copula ab alia est distincta, neque vna cum altera continuatur.

Ad secundam concedo, perseverantiam in peccato augere peccatum, sed quando augmentum non constituit peccatum diuersum, non est necessarium in confessione manifestandum.

Ad tertiam concedo, gaudere per delectationem motualem de furo commisso, esse novum peccatum: at gaudere per voluntatem efficacem non esse peccatum distinctum à voluntate retinendi, nisi adit aliqua interruptio.

Ad quartam concedo contritentem sæpius rem furtiuam in sua, inquam, potestate existentem, non esse peccatum distinctum, sed idem continuatum, quando ex contritione non rediit res deterior: imò etiam quando ex contritione non rediit distinctum, sed idem, quando à furo, qui tibi rem surripuit, recuperasti, quia semper est eisdem rei retentio, seu non restitutio, videturque decium in lei qui, & in fine. de. §. insens. ff. de furtis, & tradit expresse Azor tom. 1. instit. moral. lib. 4. c. p. 4. quæst. 5. sine Ioan. Sanchez disp. 6. sect. 6. n. 1. Salas 1.2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 90.

4 Secundò infertur, quid dicendum, si eodem tempore plures maledictiones in alium iactes, plura iuramenta facta ad aliquam rem confirmandam proferas, pluribus plagis inimicum afficias, plures feminas eodem tempore deofuleris, an, inquam, tunc plura peccata numero distincta officia necessariò confitenda? Ratio dubij est: quia quodlibet ex his iuramentis, plagis, & maledictionibus, & oculis, etiam aliud non sequeretur, esset peccatum consummatum interius, & exterius. Ergo quodlibet ex his est distinctum ab alio, neque cum alio continuatur. Et confirmo: si hæc maledictiones, & iuramenta prolata essent diuersis temporibus, quælibet ex illis maledictionibus, & iuramentis constitueret peccatum consummatum distinctum. Ergo quòd facta fuerint successiue vnum post aliud, non impedit hæc multipliciter, sicut in pollutione, & fornicatione, non impedit eorum multipliciter, est successiue fiat.

5 Verum communis sententia est, hæc non reputari peccata distincta, sed idem peccatum numero: sic Azor 1. part. instit. moral. lib. 9. cap. 28. quæst. 1. 5. Ratio est, quia omnia illa iuramenta confirmant eodem tempore vnum fallitatem, maledictiones idem malum inimico imprecantur, percussiones vnum vulnus constituunt: quod non leuiter confirmari potest ex negatione D. Petri; res enim dictus est negasse Christum: neque absque remeritate, aut errore, vt dicit nosse doctissimus, & omnibus sæculis merito laudandus Ioannes Maldonatus Math. 26. num. 1. dici potest sæpius, quam ter negasse; at tamen singulis vicibus plura iuramenta, & attestaciones protulit, vt optimè ipse Maldonatus, expendit num. 70. 71. & 74. Primò enim interrogatus, quasi dubitauerit ab ancilla, an esset ex discipulis Christi, respondit: non sum; vt dicit Ioan. at cum ancilla instaret, & diceret affirmatè, Et tu cum Iesu Galilæa eras, Respondit ipse: neque noui illum, neque scio, quid dicas, vt Math. Marc. & Lucas scribunt. Secundò verò interrogatus adhibuit iuramentum, Tertio examinatus superaddidit execrationem illam quam sæpe ingeminauit, quod confas ex illis verbis, cepit deseriari; quasi sæpe, & multis modis execratus fuerit, ideoque dixit Marcus execrationem usum fuisse. Secundò probatur ex cap. cum pro causa de sententia excommunicationis. Vbi ob verberationem clerici factam in dormitorio, & continuatam per claustrum, vnicui excommunicatione contrahitur ratione verberationis: est plures quam semel percussus sit, quia omnes illæ percussiones reputantur vna, Et licet in rextu videatur duplici excommunicatione illum ligatum esse: hoc non est ratione solius percussoris, sed ratione violationis Ecclesiæ: vide glossam. Confirmat hæc sententiam Ioan. Andreas reg. velidum. col. penult. de reg. iuris lib. 6. affirmans Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars 1.

eum, qui ter pugione clericum percussit, continuatis vulneribus, vnam tantum excommunicationem contrahere, quia reputatur vna percussio: facit cap. Lotharini, aduincta gloffa verbo appellauit, 3. quæst. 2. vbi dicitur eum, qui vno, & continuo impetu appellauit bis, vel ter à sententia, semel appellasse dicitur, & l. cum quæstio, C. de legatis §. sed & alia, dicitur, qui eandem rem cuiuspiam in testamento, bis, aut ter legauit, proinde est: ac si semel legauerit: & ita hæc sententiam docet expressè Nauarr. in summ. cap. 6. n. 17. & in cap. consideret in princip. de penit. disp. 5. num. 48. vers. ex quibus Heniquez 2. de penitent. cap. 5. §. 6. & cap. 8. §. 3. Bonacin. disp. 2. de peccat. 3. 4. punct. 2. num. 11. Simanchas de Catholice. institut. cap. 8. sine Couarr. 2. variat. cap. 10. num. 8. Salas alios referens 1.2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 86. & 90. & tom. 1. tract. 7. disp. 6. §. 6. n. 39. §. dico seprimò Azor 1. tom. lib. 4. cap. 4. quæst. 5. Ioan. Sanchez in select. disp. 6. n. 1. 2. 3. & 6. indicat Valquez tom. de penitent. quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 8. quatenus dicit vnum peccatum committere, qui alium lancea ter vulnerauit, vno, inquam, actu, id est. vno iracundiæ impetu & tom. 1. in 1. 2. disp. 75. cap. 2. sine, dixit vnum esse peccatum pluries feminam deofulari lasciuè, vel tangere in eodem tempore, quia in vno opere exteriori continuatur, videlicet in persequerantia conuersionis cum femina permanente periculo.

6 Sed quid si Petrom diuersis verbis contumeliosis afficias eod m tempore, si nomines illum latronem, adulterum, homicidam: et: ne diuersum peccatum, quælibet ex his contumeliis? Communis est sententia esse plura peccata, & necessariò in confessione manifestanda, quia est diuersa species iniuriæ, sicut si vocates latronem, & simul petuciteres, sic Azor tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 5. consentit Salas tract. 13. disp. 5. sect. 8. num. 90. Ioan. Sanch. in select. disp. 6. num. 1. Suarez tract. 3. disp. 6. de charitate opposit. sect. 2. num. 3. Nauarr. cap. 6. summ. n. 18. vers. inferur secundo.

Nihilominus Bonacina disp. de peccat. quæst. 4. punct. 2. n. 12. censet non esse plura peccata, neque in confessione debere explicari: quia esto essent iniuriæ diuersæ rationis, tamen in ratione iniuriæ, & contumeliæ conueniunt: sicut si à Petro furatus esses equum, vestem, & arma, non teneris explicare ea in confessione, sed satisficeres sufficienter declarando quantitatem, quia in ratione furti, omnia illa eiusdem rationis sunt, sic videntur esse in ratione contumeliæ: aliàs semper morales in confessione explicare, quibus omnibus proximum dehonestasti, quod certe non est apud confessarios satis receptum; & hæc sententia probabiliter iustitieri potest.

7 Tertio infertur, quid dicendum sit, si existens in peccato mortali, pluribus eodem tempore sacramenta, ministros, vel iratus plures vulneres, etiam eodem ictu, vel prohibitus ludere, iudas cum pluribus continuatè per noctem?

Fortè placebit alicui hæc omnia vnum esse peccatum, neque obligationem habere sic operantem distinguendi in confessione, quor fuerint personæ, quibus malè sacramenta ministrantur, quælibet vulneratur, quibus cum lusit; sed satisficere, si dicat, malè semel administrasse sacramenta, vulnerasse hominem grauitè, iussisse, cum prohibitus fuerit: & de hoc vltimo casu id tenet Azor 1. tom. summ. lib. 4. cap. 4. sine. Ioan. Sanch. disp. 6. sect. 2. n. 1. Nauarr. in cap. consideret, in princ. de penit. disp. 5. n. 48. vers. ex quibus, & docuit Bart. in insensando ff. de furtis.

8 Verum tam in hoc, quàm in aliis casibus tenendum est, esse plura peccata necessariò in confessione manifestanda, tenet Valq. 1.2. disp. 98. cap. 3. n. 9. Probo, quia ad multipliciter personarum multiplicentur actiones, neque vna cum aia vnum efficiunt, quis enim dicit administrationem sacramenti Petro factam, vnum componere posse cum administratione facta Ioanni, & vulnus Ioanni inflictum pertinere aliquo modo ad vulnus Petri? Et idem est de ludo; quælibet enim ex his actionibus omnino independens est ab alia in esse peccati, & totam in suo genere malitiam completam habet, sicuti habet fornicatio cum diuersis personis, & probari potest ex doctrina Battoli in insensando, §. insens ff. de furtis, n. 5. cum qui vendit certi vini mensuram decem nummis, stante lege, quod solis octo vendatur, toties delinquere, quoties vendit etiam eodem die.

9 Quarto infertur, an coniugatus habens rem cum alia vxore, debeat vtrumque coniugium explicare, vel satisficere dicendo in confessione adulterium commississe? Probabile reputat Saa in editione Complutensi verbo confessio, n. 30. non esse necessariò manifestandum: & posset probari; quia esse vtrumque coniugatum, aut esse vnum, non variat speciem adulterij, neque numerum illius, sed solum auget eius grauitatem, Ergo non est necessariò manifestandum in confessione. Tenenda tamen est contraria sententia, tanquam certissima, debere, inquam, te manifestare, vtrumque coniugium, quia esto actus sit vnus numero in esse physico, & morali fornicationis: at in ratione adulterij, seu iniustitiæ duplex est, & duplicem malitiam continet, eo quod duplex iniuria duabus personis inferatur, ita Valquez 1.2. disp. 98. cap. 3. n. 9. Salas plures referens tract. 3. disp. 3. sect. 2. num. 19. Nauarr. summ. cap. 6. n. 5. vers. quarto infertur, sine.



10 Quintò infero, quid dicendum de religioso habente ordinem sacrum, & violante castitatem?

Respond. non esse obligatum manifestare utrumque, sed sufficere, si dicat se esse religiosum, vel ordinem sacrum habere; quia ordo sacer non obligat ad castitatem servandam, nisi ratione voti in eo inclusi, quæ est obligatio eadem cum obligatione voti in professione facti. Ergo declarata qualibet illarum, sufficienter declarat tota malicia peccati, ita Medina 1. tom. sum. cap. 14. §. 18. vers. 3. Manuel Rodrig. 1. tom. cap. 53. conclus. 4. num. 5. & cap. 195. conclus. 2. num. 2. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 2. quest. 6. sine. Salas 1. 2. quest. 72. tract. 13. disp. 3. section. 2. n. 21. ubi alios refert.

11 Sed quid si habeat votum simplex castitatis & insuper solemne ratione ordinis sacri, satisfaciens, si dicat se peccasse adversus votum castitatis, tacens esse solemne?

Respond. satisfacere: tum quia votum simplex à solemni non differt essentialiter, sed solum accidentaliter, ut latius in materia de religione: tum & præcipue, quia est votum solemne reddat hominem ad matrimonium, & ad alios fines: at ad servandam castitatem eodem modo, & sub eodem fine obligat, scilicet ne irruerent Deo fiat, si non seruetur, quod ei promissum est: quapropter in *charlus, qui clericus, vel conventus*, ait Celestinus votum solemne non magis obligare apud Deum, quam simplex. Idemque tradit in *l. 1. tit. 8. part. 1.* & ibi Greg. Lopez alios refert: & ita tenet, & latius probat Salas *sup. n. 21.* Vnum tamen est omnino certum, in quo ferè omnes conveniunt. Sacerdotem violantem castitatem satisfacere, si dicat se ordine sacro esse insignitum, quia idem votum repetitur in omnibus ordinibus, adversus quos peccat.

12 Sextò infero, religiosum transgredientem præceptum superioris intendens sub mortali obligare, duplicem culpam committere, necessariò in confessione manifestandam; alteram adversus illam virtutem, in qua res est constituta; alteram adversus obedientiam votum. Quod ut rectè intelligatur supponendum est superiorem præcipientem constitutorem rem præceptam in ea virtute, ex cuius amore movetur: præceptum imponere, seu quam intendit, ut subditi executionem rei præceptæ consequantur. Hæc autem virtus aliquando est eadem cum ea, quam ipsa res præceptæ iure ipso naturali respiciunt, ut contingit, cum furum, & homicidium prohibetur, ne fiat alicui iniuria, & tunc non constituit præceptum superioris distinctum peccatum: aliquando est distincta, ut cum furum rei factæ prohibetur ob speciale loci sacri reverentiam, & tunc iam diximus peccatum constituit speciale contra virtutem religionis, aliquando verò res mandat, quæ iure naturali mandata non erat: ut ieiunare, audire Missam; aliquando prohibentur: quæ iure ipso prohibita non erant; videlicet ne religiosi domo egrediantur, ne inter se loquantur, néve vnus in alterius cubiculum ingrediarur; in quibus præceptis attendendus est finis immediatus legislatoris, & dicendum rem præceptam in ea virtute esse, in qua fuerit finis immediatus, siquidem ad illam consequendum, vel medium assumitur. Hoc supposito probò manifestè religiosum transgredientem superioris præceptum peccare dupliciter. Primò adversus illam virtutem, in qua est præceptum. Secundò adversus votum: nam cum superior habeat hanc vim constituendi rem præceptam in aliqua virtute, ac si iure naturali ab ipsa virtute esset mandata, violans tale præceptum, violat ipsam virtutem: ex alia etiam parte religiosus habet votum obediendi superiori in his, quæ sibi sub obedientia fuerint imperata. Ergo peccat adversus huiusmodi votum, cum obedire renuit. Quocirca Franciscanus, qui feria 6. Quadragesimæ non ieiunat, & superiorum per regulam id sibi præcipientium, Secundò ratione voti obediens, quo ad observantiam regulæ obligans sub mortali se adstrinxit: & ita tenet Vasquez 1. 2. disputat. 98. cap. 3. num. 7. & 9. Azor tom. 1. lib. 4. cap. 2. quest. 6. Salas alios referens tract. 13. disputat. 3. sect. 2. num. 6. & 17. Non tamen ex hac doctrina inferitur religiosum omittentem horas canonicas ab Ecclesia præceptas, & Missam die Dominica, & alia, quæ communiter alijs à religiosis sunt imperata, peccare adversus votum obediens, quia ratione illius solum obedire tenetur in his, quæ sibi, ut religioso fuerint imperata, ut bene notavit Thomas Sanchez lib. 6. in *Decal. cap. 1. n. 9.*

13 Septimò infero scholasticam omittentem præceptum sibi impostum in virtute præstiti iuramenti, si res aliqui sibi erat præcepta, peccat dupliciter, & contra iuramentum, & contra virtutem, in qua erat res præcepta, sic Azor, & Salas *supra*. Dixi, si res aliqui sibi erat præcepta: nam si præcipitur sub virtute præstiti iuramenti res non sibi aliqui præcepta, ex illa solum contra iuramentum delinquere, eo quòd videtur superior nullam illi obligationem imponere, etiam possit. Quando tamen aliquis verè superior non est, quia non habet vim obligandi aliunde, nisi ex voto: tunc certum est violentem rem sibi imperatam à superiore aliqui non præceptam, solum peccare contra votum, ut contingit in seculari voto obediendi suo confessorio in omnibus, quæ iudicaverit suæ

spirituali saluti maximè continere, ita Salas *disp. 3. sect. 2. n. 16.* Vasquez *disp. 98. cap. 3. num. 7.*

14 Inferitur octavò, te non teneri declarare in confessione omnia illa, quæ causa fuerint peccati omissionis, v.g. Missæ audientiæ, si nullam aliam malitiam in se habeant, præter eam, quam contrahat ex omissione, quia declarata omissione, declarata integram illorum malitiam: quapropter non tenentur dicere ob voluntatem studendi, ludendi, &c. Missam reliquisse, sufficit, si dicas te Missam omisisse, cum audire deberes. At si ob fornicationem, vel furum reliquisti sacrum, tenentur id declarare, ut constat, sic Sayrus lib. 2. in *clavi regis, cap. 6. n. 10.* Valent. tom. 2. disp. 6. q. 1. p. 4. dub. 2. Bonacina *disp. 2. de peccat. q. 4. p. 4. sine n. 27.* Azor tom. 1. lib. 4. cap. 3. q. 7.

An verò ludus, vel studium, qui causa fuit omissionis, dici debeat commissiois peccatum, vel omissionis: res est parvi momenti: existimo peccatum esse commissiois, licet sit contra præceptum affirmativum, quia non est contra illud directè, sed indirectè, quodlibet enim præceptum affirmativum habet adiunctum negativum, prohibens omnia illa, quatenus impediunt præcepti affirmativi executionem.

15 Infero nonò, quid dicendum de illo, qui in plures Sanctos blasphemet, vel alicui familiæ maledicet, committit tunc peccata, quot sunt sancti, vel tot peccata, quot sunt personæ in familia? Videtur id affirmandum, quia si omnes illos Sanctos specialiter malediceret, & omnes illius familiæ de factò occideret, etiam vnò impetu faceret, tot iniurias, & homicidia committeret, quot essent personæ maledictæ, & occisæ. Ergo etiam in voluntate maledicendi, & occidendi, tot debent esse peccata, quot sunt personæ. Item si aliqua persona ex illa familia esset Clericus, haberet maledictum sacrilegium ille actus. Ergo quælibet persona secundum se tribuit suam malitiam: sic affirmat Azor tom. 1. *instit. mor. lib. 2. cap. 4. q. 3.* & Salas 1. 2. q. 73. tract. 13. disp. 5. sect. 6. n. 65. sine. Verum Navar. cap. 6. n. 18. in *nova edit. Lugdunensi, vers. Inferitur quariò*, contrarium defendit, eo quòd in iure tota vna familia, vna persona reputatur, l. 1. ff. si familia furum fecisse dicatur, idemque tradit Bonacina *disp. 2. de pec. q. 4. p. 2. n. 1.*

Dicendum tamen est, voluntatem occidendi totam vnam familiam sumptam per modum vnus, vnicum esse formalitè peccatum: at virtute multiplex esse, iuxta multipliciter personarum, quæ appetunt occidi. Quòd sit vnum peccatum formale, probat ratio Navarri, & quia vnus est indivisibilis actus: alius qui vellet homines infinitos occidere, malitias infinitas formaliter haberet? Quòd verò sit in virtute multiplex, inde probatur, quia habet in voluntate formaliter plures occisiones, atque adeò est voluntas plura peccata committendi, Ergo saltem in virtute illa voluntas plura peccata continet. Adde qui intendit familiam occidere, non satisfaciens confessioni, si dicat habuisse voluntatem homicidij, quia non est voluntas vnus homicidij, sed plurium, sicuti non satisfaciens confessioni, qui diceret habuisse voluntatem fornicandi, si habuit voluntatem fornicandi cum omnibus, qui in vna domo residebant. Ergo signum est illam voluntatem in re esse multiplicem. Quocirca Bonacina, qui tenet vnum esse peccatum, vnicamque malitiam habere, nihilominus affirmat in confessione exprimentum esse obiectum huius peccati, quod nescio an sit satis consequenter dictum, cum solum numerum, & speciem teneatur quis confiteri, cui obligationi satisfacere videtur, si dicat habuisse semel voluntatem homicidij, si in illa voluntate non est nisi vna numero malitia. Atque si obiectum peccati declarare debet, solum quia pertinet ad constitutionem huius numero peccati, etiam tenetur declarare, si voluit occidere Ioannem potius, quam Franciscum. Item si furum fuit pecunia, vel suppellectilis, si intemperantia fuit in cibo, aut potu, cum omnia hæc ad constituendum peccatum concurrant. Item tenetur declarare intentionem, & durationem huius peccati, quia ipsam peccatum constituent. Neque est simile de voluntate furandi omnes libros alicuius bibliothecæ, vel destruendi aliquam domum, hic enim actus formaliter, & in virtute vnus est, quia solum vnicum furum, vnicamque destructionem causet; at voluntas occidendi familiam, continet. & causat plures occisiones, quarum quælibet est peccatum distinctum.

16 Inferitur decimò quid dicendum de illo, qui eodem die festo proponit sepius non audire Missam, & de festo non audit, an peccet vno, vel pluribus peccatis, quot sunt voluntates omittendi.

Negare tenentur omnes illi qui dicunt peccata, quæ opere externo consummantur, tunc tantum multiplicari, quando voluntas peccandi, quæ fuit interitua per contrarium actum, multiplicatur: nam si per contrarium actum non fuit interitua, censetur semper moraliter manere, & consequenter licet physice repetatur, non constituit diversum peccatum necessariò in confessione manifestandum: tenet expresse Caetano *t. m. 1. opuscul. 31. & 17. respons. in 15. dub. 2.* Navar. cap. 6. n. 16. & 17. Gratius lib. 1. cap. 10. num. 14. & sequ. & alij, quos sequuntur Salas tract. 13. disp. 5. sect. 8. num. 85. adhibita hac limitatione, nisi inter ipsos actus voluntatis multum temporis intercedat: quæ

que limitatio in presenti casu non potest habere locum. Ratio huius est, quia voluntas non tractata semper censetur moraliter manere. Ergo cum alia sumis superadditur, eadem est moraliter cum illa. Deinde cum una voluntas ab alia non multum distat, moraliter loquendo, continuari censetur, precipue cum utraque ad idem obiectum tendant, & eundem effectum causent. Præterea, qui vult occidere iuicicum, & ex hac voluntate parat arma, & ex alia iter arripit ad occisionem illæ voluntates neque inter se vniuntur, vt constat, neque vniuntur mediis, sed ad summum vniuntur in effectu; hanc autem vniorem in effectu etiam habent illæ voluntates omittendi Missam. Ergo sunt vnum peccatum, & non plura.

17 Dicendum existimo, si ex voluntate alicuius operis impossibilem cum præcepto Missæ, Missam omittitis, vnum peccatum censeri committere, quantumcumque renoues voluntates, quia omnes illæ in illo opere raicantur & sunt medio illo causæ impediendes præcepti adimpletionem: neque in hoc est maior difficultas, quam in voluntate occidendi Petrum ex cuius voluntate plura, media apponit. At si propositum habeas omittendi Missam, neque ex illo proposito apponatur medium aliquod impossibile, sed ibi sitas, & post factum renoues idem propositum, & postea adueniente tempore vigeat præcepti eandem renoues voluntatem, censetur multiplex peccatum commississe; quia omnes illæ tres voluntates non habent in quo fiat vnum; non enim sunt vnum inter se, cum non inter se vniuntur, neque in aliquo effectu productio, cum nihil producant, neque in omissione Missæ, quia ommissio audiendi Missam non incipit nisi ab eo tempore, in quo Missa audiri non potest. Ergo necessario illæ voluntates debent reputari multiplex peccatum. Confirmo, Si voluntatem haberes crastina die Petrum occidendi, neque ex hac voluntate medium aliquod apponeres, sed eandem voluntates sapienter repereres, quousque crastinus dies accederet, in quo & appositio mediis, & occisio simul iunguntur omnes illæ voluntates antecedentes, & repetitur iuxta notiam sententiam peccata essent, quia non habent in quo vniuntur; non inter se, neque in aliquo effectu, cum nullus sit, quando ipse sunt, sed similiter voluntates repetitur toto mane non audiendi Missam hora 12, non habent in quo vniuntur & vnum sunt. Ergo etiam debent censeri distincta: & ita tenet Valquez 22. disp. 75, cap. 3. sine num. 16.

18 Ad rationem dubitandi respondeo voluntatem non retractatam manere moraliter habitualiter, sed non actualiter, & in virtute, ideoque constituit voluntas de nouo adueniens dicitur numero actuali: peccatum neque in hoc attendi debet distantia, vel propinquitas temporis inter vnam, & aliam voluntatem; sed an illæ voluntates causæ sint alicuius effectus communis, vt contingit in casu de inimico occidendo: tunc enim media, quæ apponitur inter se vniuntur ad consequentiam finis in eam, sicut vniuntur lapides & ligna collecta ad ædificationem domus ob quam vniorem moralem & accidentalem collectio lapidum, & lignorum, etiam physice multiplex sit, moraliter tamen vna censetur, quia ad vnum finem ordinatur, & ab eadem voluntate ædificandi prouenit.

PUNCTUM IV.

Vnde grauias, & malitia peccati defumenda sit.

- 1 Peccata esse in grauitate inæqualia.
- 2 Ex variis capitibus desumitur grauitas peccati.
- 3 Peccatum inferiorem speciem superare potest aliud peccatum grauius ex obiecto.

1 Reuertit me ab hac difficultate expeditam, omissis variis peccandi modis. De fide enim certum est non omnia peccata æqualia esse in grauitate, sed vnum peccatum alio grauius esse constat ex Genes. 13. vbi Sodomitæ pessimi iudicantur, peccatores coram domino nimis, & Genes. 37. Ioseph. accusant fratres de crimine pessimo: & clarus Christus Dominus Iohannis 19. dixit Pilato, qui me tradidit tibi, manus peccatum habet. Ergo peccata æqualia esse non possunt. Ratio est manifestata, quia licet omnia peccata in eo conueniant, vt sint contra rationem: at ipsammet rationem naturalem grauius offendit vnum peccatum, quam aliud grauius enim offendit bestialitas, quam simplex fornicatio; & duplex fornicatio diu delictata, quam casu contingens. Deinde quia omnes essent æque puniendi, quod est contra illud Deuteronom. 25. pro mensura delicti, erit & plagarum modus; & Math. 10. & 11. terra Sodomorum remissus erit in die iudicii & Luc. 10. qui accipiens damnationem maiorem. Neque obstat rectitudinem non suscipere magis, & minus vt dicamus peccata, quæ videntur priuare rectitudinem, non suscipere magis, & minus quia non priuare rectitudinem priuatiue, sed pœniue, & in formis positiui, dicitur locus inæqualitatis licet enim frigus priuare subiectum calore quia tamen priuare per formam contrariam, potest sus-

cipere magis & minus. Item licet rectitudo alicuius lineæ in indiuisibili consistat ab hac rectitudine magis, & minus linea recedere potest: de quo latè Valquez 1. disp. 99, & Salas tract. 13. disp. 5. sect. 1. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 9.

1 Præcipua peccati grauitas, & malitia sumitur ex obiecto directo, quia inde sumit speciem: tradit D. Thom. 4. 2. q. 73. art. 3. Secundò ex circumstantiis, Tertio ex continuatione, & duratione, Quarto ex intentione. Explico in homicidio facto in loco sacro, cuius prima grauitas sumitur ex iniustitia facta, Secunda ex circumstantia sacrilegij, Tertia ex continuatione voluntatis, Quarta ex eius intentione.

3 Contingit autem sæpe grauiorem malitiam peccati esse ex circumstantia, quam ex obiecto, vt si quis cognosceret formam religiosam, vel nuptam grauius ex circumstantia quam ex obiecto peccaret.

Difficultas autem est, an peccatum ex obiecto minus graue, possit ratione intentionis, vel durationis, vel extensionis obiecti fieri grauius, alio grauius ex obiecto; quia nunquam videtur species inferior superiorem vincere posse. At tenendum est tanquam omnino certum peccatum inferioris speciei superare possit aliud peccatum grauius ex obiecto, quidem si cum peccatis venialibus superioris speciei fiat comparatio, res est indubitata; quis enim negabit furtum pollutionem, & adulterium superare iuramentum otiosum, vel falsum non plenè deliberatum. Ex quo non leue argumentum sumitur ad probandum aliquod peccatum mortale inferioris speciei superare posse aliud de superiori speciei. Exemplis res manifestatur. Detractio & contumelia ex obiecto, & speciei leuiora peccata sunt homicidio: at si quis vnam nobilem & illustrem familiam de prodicione, vel hæresi diffamaret, sine dubio grauius peccaret, quam si vnum ex infima plebe occideret. Ergo. Item si quis diapidaret ararium publicum reipublicæ maxime necessarium, grauius peccaret, quam omittendo Missam vel occidendo plebeum. Ratio est, quia cum quodlibet peccatum habeat grauitatem limitatam; & finitam absolute potest aliud peccatum leuioris speciei ita multiplicari, & intendi, vt eius grauitatem adæquet, sicut contingit in argento, quod licet secundum materiam suam inferius sit auro: at in æstimatione, & valore ob eius quantitatem excedere, & superare aurum potest. Neque est inconueniens quod indiuiduum alicuius speciei inferioris, superet indiuiduum alterius speciei: calum enim ratione incorruptibilitatis & aliam quatuoratum quæ sibi sunt propria superat in perfectione plura viuencia tubulnaria: & ita tenet, & latè probat Sayus lib. 5. cap. 4. num. 9. Azor. tom. 1. lib. 4. q. 4. fin. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 66. sect. 2. Salas q. 73. tract. 13. disp. 5. sect. 2. à n. 14. Herret. in 2. d. sp. 32. q. 3. & videtur clarè esse sententia Augustini relati in equare 64. q. 1. vbi inter ignoranter hæreticum & scilicet auarum, & inter hæreticum bene moraliter viuentem, & Catholicum sceleribus plenum, non audeat ferre sententiam quis grauius delinquit. Supponit ergo Augustinus peccatum minus graue ex sue genere ita, agrauari posse ex multiplicatione, vt vincere possit peccatum grauius ex suo obiecto.

PUNCTUM V.

Quos effectus peccatum actuale habeat

- 1 Diminuit inclinationem naturam ad virtutem.
- 2 Priuare gratia, & virtutibus infusis.
- 3 Destinat peccatorem ad penam æternam.
- 4 Arguitur effectum peccati venialis esse penam æternam.
- 5 Defenditur non esse proprium effectum peccati venialis.
- 6 Quomodo vnum peccatum sit effectus, seu pena alterius peccati.
- 7 Nota, & infamia peccatoris effectus est peccati.

1 Dicitur hic agit D. Thomas 1. 2. a quest. 85. vsque ad 88. & latè Valent. Salas, & Valquez ibi, exponam præcipuos ea breuitate, qua in omnibus studeo.

1 Primus effectus peccati est diminuerie inclinationem naturam ad virtutem: sic D. Thom. quest. 85. art. 2. Caietan. Conrad. Zumei. ibi Valquez. disp. 132. Salas disp. 13. sect. 2. Azor. tom. 1. lib. 4. c. 2. q. 2. Quod vt rectè intelligatur, aduertendum est, inclinationem naturalem ad virtutem ab ipsamet potentia voluntatis non distingui; quare cum in seipsa substantialiter voluntas non immutetur, efficitur nullo peccato intrinsecè eius inclinationem diminui posse: verum quia voluntas non ita inclinatur ad virtutem, quin libere possit vitium amplecti sit multiplicato vitio multiplicati habitum & qualitatem ad vitium inclinatem: ac proinde inclinatem voluntatem, vt virtutem relinquat, & vitium amplectatur: & hac ratione dicitur diminui per peccatum inclinationem ad virtutem extrinsecè quidem & accidentaliter, quia quo magis voluntas in vitium inclinatur, eo magis à sequenda virtute impeditur, Nunquam tamen ita impeditur quin voluntas libera maneat, & potens sit virtutem sequi, & naturam suam inclinationem opere

complete, ut dixit Trident. *sess. 6. can. 5.* Ratio est manifesta, quia cum omnis hæc dimissio sit per habitus viciosos inclinantes ad vitium virtute oppositum, & omnes hi habitus non necessitent voluntatem, sed potius illi subdantur, nunquam potest ita inclinatio ad virtutem dimitti, ut finiat, semper enim intrinseca, & libera potestas ad virtutem, ac proinde nativa inclinatio (substantialis integra manet.

2. Secundus effectus peccati mortalis est privare hominem gratia, & virtutibus infans, cum enim peccatum constituat hominem Deo inuisum, & inimicum, necessarium debet excludere ab illo gratiam, quia amicus reddebatur.

3. Tertius effectus peccati mortalis est destinatio ad penam æternam, quam necessarium omnes peccatores decedentes in mortali subibunt, iuxta illud, *Ita maledicti in ignem æternum Matth. 25. Marc. 3. & 8. & 2. ad Thessalon. 1. & 1. Corinth. 6. & in aliis locis, ubi passim scriptura æternitatem pœnæ peccatoribus comminatur. Solum autem est difficultas in reddenda ratione, quomodo hæc pœna æterna proportionata sit culpa, in d. lenior, quia in culpa ipsa meretur, cum tep. pum sit ab omnibus Theologus cum Mag. 4. d. 26. & ibi D. Thomas 9. 2. art. 2. q. 1. ad 1. & 1. p. q. 2. 1. art. 4. ad 1. Deum punire circa condignum, & difficultas in eo sita est. Nam peccatum mortale non habet gravitatem infinitam, quia neque illam habere potest, ex Dei infinitate, aduersus quam peccatur; neque ex vilitate personæ peccantis, quia hæc omnia extrinseca sunt, ideoque non possunt refundere in actum infinitatem; aliis quodlibet peccatum veniale habere infinitam gravitatem, & æternitatem pœnæ mereretur, item quodlibet mortale contineret gravitatem omnium mortalium, neque vnum mortale esset gravius alio, & æqualiter pro vno, ac pro multis deberet peccator puniri, quod est absurdum. Quæ ergo est ratio, quare peccatum finitum in gravitate puniatur circa condignum pœna æterna? Plures rationes ad hanc veritatem confirmandam adducuntur à D. Gregor. 4. dialog. c. 44. D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 3. 4. & 5. & ibi Valq. Salas Zúmel, Valent. Sayr. lib. 2. c. 13. n. 8. Anton. Perez in sua laur. certam. 9. 1. to. n. 86. Et tamen mihi videtur efficacior quia pœna, quæ in intentione est finita, & solum in duratione non habet finem, absolute finita est, & secundum quid finita, sicuti Angelus, & anima rationalis finita entia sunt etiam finem non sint habitura; sed quodlibet peccatum mortale, esto simpliciter finitum sit aliquam tamen habet infinitatem, eo quod sit contra Deum infinitum. Ergo pœna in duratione æterna non excidit eius meritum.*

4. Sed inquires an pœna æterna sit etiam effectus peccati venialis.

Et videtur quod sic. Nam decedentes cum mortali & veniali, non solum ratione mortalis, sed etiam ratione venialis perpetuo puniuntur; nam cum semper in illo perseverent efficitur, semper ob illud debere puniri: ideo enim D. Thom. Valquez. Zúmel. Salas, & alii nuper relati affirmant pœnam inferni æternam esse, quia æternum futurum est peccatum, ob quod infligatur: sed veniale peccatum in damnatis etiam erit æternum. Ergo etiam pœna illi correspondens æterna debet esse.

5. Dicendum tamen est, pœnam æternam non esse effectum proprium peccati venialis, quia peccatum veniale de se illam non meretur sed solum meretur temporariam. Conclusio est omnium catholicorum: decedentes namque in gratia cum peccato aliquo veniali non remisso non puniuntur æternaliter, sed aliquo tempore in purgatorio, & postea gloriæ consequuntur; aliis peccatum veniale gloriæ consequutionem in æternum impedit, quod est contra fidem. Si vero peccatum veniale in damnatis existat, etiam si ex se pœnam æternam non meretur, puniatur tamen æternaliter, est communior, & probabilior sententia, quam laicæ defendit cum D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 5. ad 2. & 3. Valq. disp. 141. Valent. disp. 6. quæst. 17. p. 4. Salas plures relectos tract. 13. disp. 15. sess. 1. nu. 70. & 73. Azor. tom.

1. lib. 4. cap. 10. q. 1. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 11. sess. 2. n. 11. & seqq. Probo efficaciter primo, quia illa pœna, quam damnati in inferno sustinent, est de se effectus sufficiens extinguere debitum peccati venialis, si voluntarie acceptetur: quia non solum inuitè sed etiam impatienter, & blasphemè sustinetur, non videtur vilo modo sufficiens extinguere debitum peccati. Ergo post vnam pœnam toleratam potest Deus aliam, & aliam indigere. Secundo illius pœnæ toleratio non poterat culpam, & debitum illius extinguere, quin à Deo acceptaretur & acceptaretur ex merito Christi quia nullum peccatum hominibus remittitur nisi ex Christi merito, ut traditur in Trident. sess. 15. cap. 8. & docuit Suarez tom. 2. in 3. disp. 11. sess. 2. num. 7. Azor. tom. 2. lib. 4. cap. 10. q. 3. sed merito Christi iam non operantur in damnatis sunt enim membra abscissa à Christo in perpetuum. Quarto de damnatis dicitur, *ubi ceciderit lignum, ibi manebit*, hoc est manebunt in eadem pœna in quam ceciderunt. Ergo non possunt pro peccato veniali satis pati. Quinto quia peccatum veniale aliquo modo habet infinitatem; cum sit contra Deum. Ergo saltem pro aliquo statu meretur pœnam aliquo modo infinitam, qui status non potest esse alius, nisi quando cum mortali coniunctus esset.

6. Quartus effectus seu pœna peccati solet enumerari aliud peccatum; & quidem secundum quod peccatum est nequit esse pœna, quia non sit à Deo, & neque appeti ab eo potest: non enim appetere potest sibi fieri offensam & iniuriam, neque rationabiliter procederet, si vellet iniuriam sibi factam alia iniuria vindicare. Pœna autem ut tradit August. de lib. arbit. cap. 1. est à Deo, & placere ei aliquo modo potest, siquidem procedit ab illo, ut à iure merito indicit iniuriam factam vindicare. Peccatum autem secundum quod est permissum, hoc est, permissivum ipsam peccati posse: & sæpe esse pœnam peccati negari non potest, cum id constat ex variis locis scripturæ. præcipue ex Paulo ad Rom. 1. à n. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* &c. id est permittit illos sua desideria desuere, de negando auxilia specialia quam denegationem potest Deus velle cum nihil in ea malum sit. Vide D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 2. Caietan. Medin. Zúmel, ibi Valq. disp. 129. cap. 9. & disp. 140. Salas tract. 13. disp. 15. sess. 2. Valent. disp. 6. quæst. 17. punct. 3. Bonacina disp. 2. de peccati quæst. 7. punct. 2. Neque obstat aduersus hanc doctrinam Augustin. 1. confess. cap. 12. ubi dicit: *Iussisti Domine. & sic est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi pœna sit*, quia August. loquitur causatue non formaliter, quia non est formaliter pœna quatenus est inordinatus, sed ratione tristitiæ, damni, infamiae & aliorum effectuum, quos inordinatio causat.

7. Quintus effectus peccati est nota & infamia peccatoris sed hic effectus non sequitur quodcumque peccatum, sed peccatum publicum illo tamen semel posito, semper præsumitur durare ex text. in cap. *semel malus de regul. iur. lib. 6. & tradit August. in cap. nonnulli, 46. dist. propter quod dixit Vlpian. in l. si cui §. iudem ff. de causat. quod ille qui semel est calumniatus in futurum calumniari præsumitur, & semel peccator, in futurum peccaturus ob quod à iuramento præstando repellitur cap. parvulus, 22. q. 1. & c. litteras de presump. & aliis multis exemplis probat Menoch. de presump. lib. 4. presump. 32. & Mascard. de probationib. concl. 1006. à n. 54. Purgari tamen censetur huiusmodi nota & infamia ex facto proveniens, si per triennium ab illo delicto perpetrando abstineat, præcipue si occasione committendi illud tibi fuerit oblata, ut tradit Albertic. in *Lommodo num. 3. C. de inoffic. testam.* & probat text. in §. hanc autem nobis versic. nam est vitium, in *Authent. de monach.* Imo addendum existimo cum Menoch. nu. 33. per penitentiam sacramentalem omnino tolli infamiam, & notam & præsumptionem simile delictum committendi, quia & tollitur peccatum quod infamiam causabat, & retractatur voluntas, ex qua præsumptio oriebatur.*